

preces remissæ fuerant, die 12 Januar. 1715. illas convalidandas censuit, quia supplicantes bona fide Parochiales acceptaverant, atque ex Archiepiscopi attestazione constabat, multa exoritura scandala, si novus Concursum ad illas foret indicendus, quod refertur in *Thesaur. Resolut.* tom. 3. pag. 219. loc. cit. n. 9.

(65. Sacra Congregatio probe noscens, non facile, ob varias causas esse Episcopis singulis prorsus annis Synodum celebrare, ne idcirco legitimis careant Examinatoribus pro concursibus ad Parochiales, statim ac aliquis Episcopus ei exponit, sex ex electis in ultima Synodo non exstare, facultatem ei concedit eligendi novos a majori parte Capituli approbandos, quorum tamen munus duraturum decernit tantum ad annum; et iterum ad preces Episcopi illos in munere confirmat, et deinceps semper in annum iisdem prorogat. (66. Idem *ibid.* num. 10. ubi recte subdit, quod si Capitulum illos, quamvis cæterotum idoneos, approbare recusaverit, licet Pignatellus, et P. Andreucci ibi citati existiment habendos esse nihilominus in tali casu pro approbatis, tutius tamen erit ad evitandas innumeras lites, et controversias solitas oriri in similibus casibus, ut tunc Episcopus a Sacra Congregatione Concilii petat supplementum consensus sine justa causa a Capitulo denegati, ut de facto supplevit in una Messanensi die 20 Septembr. 1645. similem nominationem, seu electionem Examinatorum Synodalem quam Capitulum detrectaverat approbare, convalidando, ut apud *Thesaurum* tom. 9. in Aversana Electionis Examinatoribus Synodalis § *Urgente*, refert Eruditissimus Eminentissimus Cavalchinus, qui uti Secretarius dictæ Sacræ Congregationis Concilii sub die 10 Jan. 1739. et 16 Maii ejusdem an. 1739. (67. Instabat nomine Ordinarii Aversani pro simili supplemento denegati Capitulari consensus, ibi: «An nominatio Sacerdotis Cajetani Perusini in examinatore Synodalem facta ab Ordinario sit confirmanda, non obstante dissensu 10 ex 19 Canonicis in Capitulo intervenientibus, et suffragium ferentibus in casu, etc.» Et cum perpensum fuisset, jam tum elapsum fuisse annum, quo præfatus Sacerdos exercere potuisset Examinatoris munus, cum ex supradictis talis facultas soleat concedi solum ad annum, Sacra Congregatio supervacaneum duxit causam definire, ejusque propterea discussionem supersedit, cum solo rescripto, *Non proposita attento lapsu anni.* Sic apud dict. *Thesaurum*, tom. 9. in allegata Aversana sub die 16 Maii 1739. Quod dictus Benedictus loc. cit., n. 10, allegat sub die 2 Martii 1739. (68. Examinatores in concursu Ecclesiæ Parochialis juris patronatus 28 Januar. 1763. solum idoneos, non digniorem designare debent. Idem loc. cit., lib. 4, c. 8, num. 7, ubi multa tradit ad rem merito videnda et observanda.

(69. Examinatores congruentius suffragia ferunt, palam communicando secum invicem, tum indicendo Notario hunc vel illum esse

approbatum. In quam sententiam, quæ est Fagnani, inclinat Pontifex loc. cit., cap. 8, § 4. (70. In Judicio Examinatorum nulla fert suffragia Episcopus, vel Vicarius loco Episcopi residens, nisi in casu paritatis votorum, aut si sint singularia, tunc enim potest Episcopus quibus vult accedere, sed hoc præstare debet tunc coram iisdem Examinatoribus. Ita ex Garcia, *ibid.* § 5.

## NOVE ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(71. Quod ait Auctor num. 43. Examinatores in concursu ad Parochiales referre debere non solum de doctrina, verum etiam de moribus, prudentia, ætate, aliisque ad regendam Ecclesiam Parochialem necessariis, hoc adeo verum est ut si Examinatores de sola doctrina referant, concursus irritus sit, tum irrita facta subinde ab Episcopo collatio Parochialis Ecclesiæ, ut firmavit Rot. in Cassanen. Parochialis 8 Martii 1751, § 3, et 28 Junii ejusdem anni pariter § 3, cor. Illustriss. Migazzi.

(72. Idque procedit, etiamsi Examinatores inquisitionem dictarum aliarum qualitatum propter doctrinam commiserint notioni et conscientie Episcopi. (73. tum etiamsi oretenus examinatores retulerint de dictis aliis qualitibus, dummodo tamen ex actis non constet eos oretenus retulisse, et demum etiamsi contraria sit consuetudo, ut respondit Rot. in dict. Cassanen. Parochialis 8 Martii 1751, a § 5 ad finem, et 28 Junii ejusdem anni a § 6, ad finem cor. Illustriss. Migazzi.

(74. Nota vero, quod ut Examinatores dicantur retulisse tum de doctrina, tum de aliis qualitibus, necessarium haud est, quod (sunt verba Rotæ in dict. Cassanen. Parochialis 8 Martii 1751, § 6. «Examinatores judicium super singulis qualitibus concurrentium distincte et sigillatim proferre teneantur, quum satis sit eorundem qualitatum ab Examinatoribus habitam fuisse rationem per indefinitam orationem, qua concurrentes ad Ecclesiam regendam idonei renuntientur.»

Hic supplere optimum ducimus quæ adjecimus in fine additionum ad artic. IV, verb. *Electio*, num. 119, nempe, quod quæstio illa, an eligente majori parte Capituli inhabilem, sub conditione dispensationis, minore vero parte habilem non obtenta dispensatione intra terminum juris, consolidetur totum Jus ipsius Capituli in minore illa parte, ita ut ab ea electus habendus sit pro electo; adeo implexa visa fuit, ut supremum auditorium Rotæ, ad quod delata fuit in Comen. Canonicatus Theologalis cor. Rever. D. Olivatio Decano semel atque iterum ex æquo scissum fuerit, nullamque ceperit resolutionem. Sed cum deinceps die 28 Januar. 1763, in eam iverit sententiam, ut totum Jus Capituli consolidetur in minore parte habilem eligente, ut ex § 16, ad finem; hinc libet pro gravitate articuli, tum novitate ejus resolutionis ipsissima verba Decisionis hic exscribere.

(75. «Hactenus dicta luculenter commostrarant, nullum Jus Ignatio comparari ex

presentatione a quinque Capitularibus in ipsum collata. Nam irrita prorsus, et inanis fuit nominatio incapacis intuitu ætatis, totumque Jus Capituli coaluit in aliis tribus Canonicis Joannem Antonium Nicolina Sacerdotem habilem eligentibus. Impediturque propterea devolutio ad Sanctam Sedem, nec Ignatio prosunt Litteræ Provisionis Apostolicæ perinde expeditæ, ac si ageretur de Canonicatu devoluto; Nam si major Pars Collegii in eodem Actu, proque eadem vacatione eligat inhabilem, aut incapacem, et minor habilem, Jus majoris consolidatur in minori, quia non decet, ut minor eligens habilem, nec ulla in re deficiens privetur Jure eligendi per hoc, quod major Pars inhabilem præsentaverit, per Text. in cap. *Dudum 22, de Election. et Elect. potest. c. Gratam 2, de Postulat. Prælator. Piton., de Controv. Patron.*, allegat. 100, n. 2. Fontanell., *de Jurepatron.*, lib. 2, quæst. 10, num. 7. Montal., *de Jur. supervenient.*, tom. 1, quæst. 23, n. 118. Rota coram Herrero. decis. 94, num. 1 et 19.

(76. «Nec interest, nominationem majoris Partis, quinque nempe Vocalium Ignatio Suffragantium, prodisse sub conditione obtinendi, quatenus opus Pontificam dispensationem super ætate intra tempus a Jure præfinitum, quod erat tempus quadrimestris, ideoque conditione intra hujusmodi tempus minime superventa, inutile evasisse Jure majoris partis, eoque dempto cessasse quoque jus minoris, quum per electionem collegialiter factam in minori consistere haud possit virtus Capitularis, quæ consumitur a majori; Abbas in cap. *Quia propter*, num. 9 et in cap. *In Genesis* num. 4. ibique Hostien. n. 14. Cardinal. n. 3. *de Election. Lotter. de Re benef.* lib. 3. quæst. 17. num. 128. Rot. in recent. decis. 269. num. 2. part. 1. et decis. 210. num. 16. par. 9.

(77. «Quandoquidem ad eliminandum objectum perpendere oportet, majorem Partem Capituli, et quinque Canonicos nominantes Inhabilem, nondumque perventum ad justam ætatem sub conditione obtinendæ dispensationis, dispensatione non obtenta, et conditione non extante intra tempus quadrimestris, perinde haberi, ac si nunquam nominassent. Jam vero in casu nominationis non factæ a majori Parte, nemo nescit, integram, universamque potestatem Capitulari ad minorem percurrere, vel in illis coalescere, qui dignum, et habilem nominaverint. Card. de Luc. *de Regular. discurs.* 53. num. 8. Labor. *Variar. lucubrat. Canonic.* lib. 4. cap. 6. num. 26. Leuren. *For. Benefic.* part. 2. sect. 3. c. 2. § 7. quæst. 571. per tot. Ceccoper. *Lucubr. Canon.* lib. 4. titul. 6. num. 45. et 46. Rot. in Leodien. Vicariæ 1 Julii 1754. § 8. cor. Minentiss. Molino.

«Plane qui præsentat sub certa Conditione impetrandi a Summo Pontifice veniam ætatis, sub contraria Conditione removet consensum ab Actu, et quodammodo proficitur, se negare electionem, quum hæc, et non alia sit voluntas ita eligentis, Card. de Luc. *de Jurepatronat. discurs.* 64. num. 27 et de Be-

*nefic. discurs.* 28. n. 18. Piton. *de Controv. Patron.* allegat. 1. sub n. 24. versic. *modus autem* in fin. et rursus allegat. 2. num. 4. Garc. *de Benefic.* part. 8. c. 2. num. 3. Corrad. in *Prax. Beneficior.* lib. 4. cap. 6. n. 26. Vivian. *de Jurepatronat.* part. 2. lib. 8. cap. 8. num. 10 et 24. Gagliard. *de Benefic.* cap. 9. num. 10. Idem *de Jurepatronat.* cap. 16. n. 13. Rot. in Parmen. Beneficii 26 Junii 1750 § 18. et 5 Decembris 1751 § 12. coram bon. mem. Canilliac. Præsertim ob clausulam *Et non aliter*, qua quidem major Pars ita consensit Inhabilis electioni, ut non adito Summo Pontifice, nec impetrata dispensatione, quinimmo prætergresso tempore ad id præstituto, nihil ipsa egisse videatur, et ideo totum Jus, et vox Capitularis coerceatur in parte minori, quæ capacem, habilemque elegerit. Nec electio majoris partis consumit Jus Capituli, quod per minorem conservatur, si majoris Partis electio cessatur, interciditque. Alias absurdum esset Capitulo, et minori Parti perniciem creari: Capitulo, quod fraudaretur Jure eligendi: Minori etiam Parti, si sine culpa illius, et ex facto majoris ad Superiorem fieret devolutio. Quo fit, ut si Pars tantum, et non totum Capitulum, in culpa versetur inhabilem eligendi, tunc Jus electionis pervolvatur, ac transeat ad aliam partem, et ad reliquos licet numero pauciores vocales, quum pœna non debeat insonites afficere, Barbos., *de Jur. Ecclesiast. univ.*, lib. 1, c. 19, n. 86. Louvrex, *Dissert. Canon.* 8. annot. 50. ad nonnullas seqq. Leuren., in *For. Benefic.*, part. 2. c. 2. quæst. 250, n. 2. Montalb., *de Jur. supervenient.*, tom. 2, in addit. ad quæst. 23, num. 24.

«Traducique ad hanc speciem non possunt Authoritates, quæ de majori parte ignoranter indignum eligente afferuntur. Qui enim ignoranter eligit indignum aut inhabilem, nullius culpæ notatur, et pro se cupit electionem impleri; Lex autem est, quæ illi subtrahit effectum; et ideo vetat Jus majoris accrescere minori, et in minori coæcervari, cum ad id requiratur, majorem Partem vel non eligere, vel culpose saltem eligere. At vero quisquis eligit incapacem sub conditione dispensationis, et consequenter ex perspecta Canonicatus indole requirente legitimam ætatem, scienter eligit, nec excusatur a conditione, nisi removeatur obstaculum nominationis in Incapacem collatæ. Obstaculo vero vigente ob non impletam Conditionem, res absolvitur secundum regulam culposæ nominationis, qualis est illa, quæ proponit indignum, privans ex post facto eligentes Jure suffragii, et hoc ea vice transferens in alios, qui habilem elegerunt, quive ex consolidatione acquirunt vocem Capitulari, ut de culpose eligentibus statuunt Louvrex *Dissert. Canon.* 8. n. 56. Passerini *de Elect.* c. 31. num. 1. Fontanell. *de Jurepatron.* lib. 2. cap. 10. num. 2. Rot. coram. Ansaldo. decis. 95. num. 19. et in Colonien. Abbatissatus 25 Aprilis 1759. § 11. cor. bon. mem. Frangipane.

«Et quamquam alicui mirum videatur,



consolidationem majoris in minori fieri ex facto, semel ac Collegialitas actus nihil initio tribuit minori Parti; perpendere tamen oportet, id fieri per quamdam retroactionem, et reditum ad initium. *Conditio dispensationis* ejus est naturæ, ut si impleatur, redeat ad initium actus, actumque convalidet ab illo tempore; sin autem deficiat, etiam defectus ad idem tempus revertatur, actumque deleat tam quoad eligentes, quam quoad Electum usque ab exordio, cum paria sint nihil fieri, vel fieri sub conditione, quæ non existet, ut probant Roland. consil. 58. num. 16. et seq. lib. 3. Antonin. Var. resol. lib. prim. resol. 66. n. 3. et alii collecti per August. Barbos. *de Axiom. Jur.* lib. 3. cap. 43. *de Condit.* § 16. Paris. *de resignan. Benef.* lib. primo quæst. 14. num. 10. Clericat. *de Benef.* discord. 62. n. 26. Rota coram Molin. decis. 1161. n. 17. Esto igitur in Patronatibus Laicalibus (eujusmodi est illud, de quo disseritur, si consideretur cessio per Communitatem Burmii facta Capitulo sub lege non immutandi naturam Patronalem) esto inquam a Jure Canonico permittatur actus nominationis Incapacis sub conditione purgandæ incapacitatis intra terminum, ut pluribus collectis firmavit Rota in Melevitana Beneficiorum 10 Junii 1712. § *Pro remotione* cor. clar. mem. Card. Aldovrando apud Fagnan. *de Jurepatr.* part. 1. can. 5. cass. 11. num. 28. tamen a conditionis eventu pendet nullitas, aut firmitas ejusdem actus, ita ut extante conditione, actus valeat retrocedendo, conditione defecta retrocedendo pariter corruat. Hac vi retroactionis inspecta, nemo miretur defectum Pontificiæ dispensationis nunquam obtentæ super ætate, ministerio Juris redire ad initium actus, et ad momentum, quo major Pars Ignatium præsentavit sub conditione dispensationem obtinendi. Sequiturque propterea ex eo momento a majori Parte negatum existimari consensum nominationis Incapacis medio sublata; semper enim evanescit, et a principio tollitur, ac si non facta, præsentatio, cui deest conditionis eventus; Rota in recent. decis. 474. num. 10. et seq. part. 5. tom. 2. et in Romana Locorum Montium, seu Evictionis 9 Feb. 1756, § 6. cor. Illustriss. Stadion.

« Quamobrem vox Incapaci, et inhabili eatenus profutura, quatenus intra præscriptum tempus evasisset Capax, et Habilis, resolvitur quidem nulla deinceps acquisita incapacitate, sed nihil detrahit nominationi minoris Partis, quam immo in suspenso stare jubet, quousque non impleatur conditio capacitatis acquirendæ; Piton. *de Controv.* alleg. prima. n. 24. Gagliard. *de Jurepatr.* cap. 16. num. 12. Conditioneque desiderata, nec intra tempus superventa, quemadmodum fas est credere, majorem partem noluisse eligere, sic Legis operatione resurgit quodammodo consopitum Jus electionis minoris Partis, nec amplius consideratur major, aut minor Pars, quum in minori totum Jus, ac summa Capituli reperitur, actusque minoris Partis, qui manet in sus-

penso, non prohibetur, quin ex post facto vires consequatur, uti movent Nid. in *Commentar. ad regul.* 18. num. 44. *de Regul. jur.* in 6. Montalb. *de Jur. superven.* tom. 1. quæst. 1. num. 37.

« Et hinc etiam actui collegialiter perficiendo respondetur. Hæc enim quoad Patronos Jure Collegii, non autem uti singulos eligentes regula traditur, ut si nulla divisio Suffragiorum contigerit, sed universum, quantum est, Collegium Inhabilem elegerit, tota vox irritetur, et ad Superiorem devolvatur. At si eligentes sese dividerint, et Pars major, ut hic, secesserit ad præsentandum non idoneum, Pars vero minor ad Idoneum declinaverit in eodem actu Collegiali, quo Jus electis conquiritur; plane vox, a qua cadit major Pars scienter eligens Inhabilem, accrescit, et additur minori Parti, dignum, et habilem præsentavit, quoniam ut ait Gloss. in cap. *Gratum de Postulator.* in verb. *Pauciores*, Jus omnium, et universitas etiam in unum recidere potest, consonatque Leg. *Sicut Municipium* 7. in fin. ff. *Quod. cujusque univ. nomine*, magisque Jus omnium recidit in tres eligentes, qui Collegium faciunt; c. 1. *de Election.* Leg. *Neratius* 85. ibique Gothofred. litt. K. ff. *de verbor. signific.* Idque in solo limitatur casu, si nempe non eodem contextu prodierit nominatio minoris Partis, sed forte prius, et spatio dato, atque intervallo, quia tunc virtus Capitularis constitui nequit in minori parte ob consolidationem majoris nondum private Jure electionis, ut hæc perstringens non ad opportunitatem, sed pro animi sui Sententia perbelle declarat Piton. *de controv. Patronor.* alleg. 100. num. 2 et 3.

« Contrariis forte urgentibus in electione canonica Prælatorum, et ut vocant *propria*, ad formam cap. *Quia propter de Elect.* in qua quidem recepta est sanctio *Textus* ex Jure civili in leg. 30 ff. *de regul. Jur.* et ex Jure Canonico. in cap. *Quum auditis* 29 *de Election.* et c. *Dudum cum gloss.* in verb. *electionis tempore eodem tit.* utroque Jure negante tractu temporis convalescere, quæ ab initio nulla sunt; Quia in electione propria non admittuntur vota conditionalia; non enim Eligentes in incerto fluctuare debent; quinimmo in electione propria constitutum est, ut majori parte seligente Inhabilem sub conditione quærendæ capacitatis, minore vero capacem, et habilem absolute nuncupante, statim, et ipso Jure proseribatur vox Eligentium conditionaliter, non expectato conditionis eventu, quia placet vota conditionalia pro non adjectis haberi, et ex puris celebrari electionem, in illos, qui pure nominarunt habilem, ea vice transeunte jure cæterorum, ad Text. in cap. 2. *de Elect.* in 6. Ripa *resp.* 2. per tot. *de Elect.* Garc. *de Benefic.* part. 8. c. 2. n. 11. et 13. Lotter. *de Benefic.* lib. 2. quæst. 16. num. 7. Passerin. *de Elect.* cap. 18. num. 22. Nid. *de regul. Jur.* *regul.* 50. sub n. 11. Piton. *discept. Eccles.* 106. num. 115. Rota coram Millia. decis. 420. n. 7.

« At longe aliter se res habet in impro-

pria nominatione Patronorum, quos inter recensetur Collegiata Burmii potita Jure eligendi ex cessione Communitatis; nam hic quemadmodum nuncupatio Inhabilis, quæ sit a majori parte sub conditione dispensationis, non habetur tanquam infirma, et infecta (toleratur enim, et permittitur), ita etiam Habilis nominatio pure facta per minorem partem pro infecta, et infirma non est, quoad actum usque ab exordio, sed utraque manet in suspenso quoad effectum, vel saltem est in implicito statu validitatis quoad usque deficiat conditio dicta a majori parte Inhabilem eligente, eaque defecta, consistit usque ab initio electio minoris partis, ut discernentes propriam ab impropria nominatione considerant, Piton. *discept. Eccles.* 24. a num. 13. ad plur. seq. Rota in *Recent.* decis. 210. n. 16. et seq. part. 9. tom. 1. *coram Cerro* decis. 26. n. 43. et seq. et cor. *Caprar.* dec. 358. n. 7.

« Idque conficitur tum a Jure, tum ab Homine. A Jure, quia eligens Inhabilem sub conditione dispensationis, non videtur a principio eligere, et ideo non attrahit, et absorbet Jus minoris, sed contra ad minorem transfertur etiam Jus majoris, perinde ac si major pars abstinuisset ab electione. Ab Homine, quia non accedente conditione, ut erat in facultate majoris partis penitere electionis Inhabilis, et aliam intra terminum cumulare electionem, Piton. *de controv. Patronor.* alleg. 2. num. 4. Carol. Anton. *de Luca de linea legal.* part. 1. art. 24. num. 10. sic nova electione prætermittitur, si major pars intra tempus quadrimensis noluit Habilem eligere, videtur tacite abivisse in electionem Habilis jam a minori parte nominati. Quoniam conflictus majoris partis cum minori, a qua illa se subtraxit, solum durat, quousque impleatur conditio; non impleta vero conditione cessat; et major pars censetur potius fictione legis cessisse Juri suo,

## EXARCHI, ET PRIMATES.

## ARTICULUS EX NOVISSIMA EDITIONE BARBIELLINIANA.

## SUMMARIUM.

1. 2. Exarchi varia apud Græcos significatio. — 3. Contracta ad Ecclesiasticam dignitatem communis Patriarchis, et Metropolitanis. — 4. Quibus proprie id nominis datum. — 5. 6. Tres tantum fuere olim apud Græcos hujusmodi Exarchi. — 7. Quorum fere jura

(1. Exarchus vox Græca est, eaque apud veteres cum profanos, tum sacros Scriptores adhibita potissimum occurrit ad eum significandum, qui cantum inchoabat, sive cantus auspiciem, ut apud Homerum *Iliad.* 17. v. 605 et Philonem *de Vita contempl.* Gregorius vero Nazianz. *προεβία festi auspiciem* illum appellat, qui festum aliquem diem primum celebrat.

(2. Eodem deinde vocabulo antiquos Patres in bonam æque atque in malam partem usos invenias; scilicet vel ad significandos criminis alicujus capitalis reos; aut etiam rebellionis auctores, unde hæresiarchæ haud raro hæresis *Exarchi* nuncupati sunt, vel ad

vel nominato a minori consensum quodammodo præbuisse; Montalb. *de Jur. superven.* tom. 1. q. 23. num. 123. et seq. Rota in *Recent.* decis. 136. num. 14. *cum duobus* seq. part. 10.

« In hunc sensum autem eo pronius Domini iverunt, quo certius est ex duabus devolutionibus, quarum altera fiat per consolidationem Juris majoris partis in minori, altera per transitum ad superiorem, uti advertunt Card. de Luca *de Jurepatr.* *disc.* 31. num. 3. et *disc.* 33. n. 10. Piton. *de controv. Patronor.* *alleg.* 34. num. 7. et *seq. et alleg.* 16. num. 23. Vivian. *de Jurepatr.* lib. 12. cap. 1. num. 1. et *seq.* favorabilior esse primam, quam secundam, et quanto pere vitandam hanc, tantopere adjuvandam illam putarunt, sectantes Judicium explicatum a Rota in *Gerunden.* *Beneficium* 1. Junii 1726. § *Opposito*, et 19. Aprilis 1728. § *Quæquidem*, coram clar. mem. Card. Calcaquino.

« Privat equidem devolutio in vacatione illa Patronos Jure præsentandi. Odiū igitur incurrit, et tamquam pœna, vel modis omnibus effugienda est, ad Text. in cap. 5. *de concess. Præbendar.* et in cap. 18. *de elect.* in 6. Leuren. in *For. Benefic.* part. 2. sect. 3. cap. 2. § 7. quæst. 739. Rota in *Colonien.* *Canonicatus* 16. Maii 1629. § *Quandoquidem* coram. clar. mem. Corio, vel non aliter admitti solet, nisi quando perspicue constet ei locum esse, quum in qualibet dubietate pro exclusione pœna devolutionis respondendum videatur. Rota in *Imolen.* *Capellanæ* 1. Aprilis 1743. § *His autem*, coram bon. memor. Canillac. et 14. Aprilis 1752. § 2. coram Eminentissimo Bussio.

« Debeamus additionem hanc adeo ponderosam facere in Articulo: *Electio*. At quia animo excedit, supplendam hic eam duximus.»

omnia Patriarchæ Constantinopolitano tandem cessere. — 8. 9. 10. Quinam Exarchi dicti posterioribus Sæculis? — 11. Idem Latinis Primates: qui Græcis Exarchi. Alii quidem honoris erant; — 12. Alii potestatis. — 13-16. Peculiaris quædam Africanorum Ecclesiarum circa Primates disciplina.

indicandos primæ alicujus Sedis Episcopos; sicque Evagrius Latrocinii Ephesini Præsidentem Dioscorum lib. 1. cap. 10. constitutum ejus pseudo Synodi *Exarchum* dicit.

(3. Ut ad Exarchorum dignitatem propius accedamus, a Græcis id nominis passim, et Patriarchis datum est, et Metropolitanis, quod primas tenerent Sedes illi dioceseon, hi Provinciarum. Hinc Domnus Antiochenus in Antiochena Synodo, et in octava generali Thomas Tyri Metropolita *Exarchi* nuncupantur.

(4. Alia germana, et cæteris multo antiquior *Exarchi* notio ea est, qua *Exarchus* is dicitur, qui nec unam regit civitatem, ut Epi-